



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

De Agno Macato In Paschate, ex capite XII. Exodi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

IN DIE

Ex afflictione & poena liberatus est, & quis enarrabit secula eius? Cum abscissus est de terra uiuentium, propter scelus populi percussus eum, et sepultus est sicut impij, & mortuus sicut diuites. Ipse non iniuste egit, nec dolus fuit in ore eius, sed Deo placuit eum conterere afflictione, Quia dedit animam suam ut esset hostia pro peccato, uidebit longam posteritatem, & consilium Dei foelicitate perficietur manu eius: Quia laborauit anima eius, fruetur uoluptate. Et seruus meus iustus iustificabit noticia sui multos, quia peccata eorum ipse sustinuit. Ideo distribuam ei magnam hereditatem, & fortes spoliabit. Quia tradidit animam suam in mortem, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum sustinuit, & pro transgressoribus rogauit.

DE AGNO MACTATO IN

Paschate, ex capite XII.

Exodi.

Certum est ueterem ritum mactationis agnitantis miraculis institutum, non solum fuisse signum admonens de praeterita liberatione, sed etiam de futura, & de agno, hoc est, uictima, per quam uera et aeterna liberatio donanda erat. Ideo & Paulus confert uetus Pascha cum Christo, inquit, Pascha nostrum imolatus est Christus. Ut
autem

autem in nostro Paschate, id est, passione Christi, conspicitur magnitudo iræ Dei aduersus peccatum: & rursus misericordia, in inchoatione uitæ æternæ, per Resurrectionem & promissionem liberationis à morte: Ita in Paschate ueteri tota Historia consideretur, ut & ira Dei aduersus peccata Aegyptiorum, & misericordia in liberatione Ecclesiæ agnoscat. Triste exemplum fuit, Regnum illud omnium toto orbe terrarum florentissimum subito tumultu dissipari & euerti, consumpta maxima parte hominum, continuatis cladibus multiplicibus, deletis principibus, mutata regni forma, Hæ fuerunt pœnæ idolatriæ, Magiæ, Libidinum, crudelitatis aduersus sanctos.

Primum autem describitur tempus. primo Mense, id est, mense Lunari, qui proxime secutus est æquinoctium Vernum, is enim fuit anni initium: die decimo, eligendus est agnus integer, anniculus, masculus, & ex agnis & hædis, id est, ex reliquo grege sumendus, et seruandus usq; ad 14. diem, tunc uespere maectandus est. Hæc descriptio conuenit ad Christum. Generaliter agnus, & præsertim maectatus, significat uictimam: quare et ipsi Israelitæ intelligebant significari aliam quamdam uictimam, per quam consecuturi essent ueram & æternam liberationem, Et eam uictimam

oportebat esse integram, sine peccato. masculam, fortem: sumptam ex reliquo grege, id est, ex populo Israel, Oportuit igitur Christum in hoc populo nasci, & non alibi, oportuit cum in hoc populo prædicare, & pati, Idco prius segregabatur agnus, ut significaretur prius Christum aliquo tempore prædicaturum esse.

II Vespere mactabunt, & sanguine conspergent limina: significabatur Christum uespere, circa mundi finem uenturum esse, & sanguine eius conspergendam Ecclesiam, id est, sanguine Christi abluendum peccatum.

III Carnes assæ edantur: Manducatio nostra Iohan. 6. descripta est, Vt Israelitæ uescentes agnum nutriebantur. sic nos cum fiducia Christi in ueris terroribus erigimur, efficiamur membra Christi, uiuificamur per eum, Ascendit enim, ut det dona hominibus, & uere sit efficax, det Spiritum sanctum. Sed comedantur carnes assæ: Non dubium est passionem significari ipsa appellatione agni, & mactationis: significatur autem & hic agni passio, Quia Christus uere expertus est ignem, hoc est, iudicium Dei, subiens poenas pro nobis. Sed usitatum est hæc de qualitate manducantium interpretari. Crudum elunt agnum, qui ipsi carnalem cruditatem retinent, scilicet, Epicurcam aut

Hypo

Hypocritam securitatem, quæ est esse sine pœnitentia, sine agnitione iræ Dei. Item retinere opiniones humanas de Deo, non emendare errores ex uerbo Dei. sicut multi inflectunt doctrinam Christianam ad Philosophiam humanam.

Et panes sint azymi. Id manifeste significat puritatem doctrinæ. nō fingamus alias opiniones de Deo, ut Ethnici Idolatræ, nec de Christo, ut Mahometistæ & Hæretici, nec alios cultus, ut Papistæ sed conseruetur puritas doctrinæ.

Quod uero additur, cum lactucis agrestibus: textus generaliter escas acerbas nominat, significat autem doctrinam penitentiae, aut ipsum etiam sensum præsentium afflictionum, qui nos admonet genus humanum propter peccatum subiectum esse iræ Dei, nec posse liberari nisi per agnum, quem Deus significauerat per hos ritus, id est, per Filium, quem nobis exhibuit.

III Non Crudum. De nostra cruditate interpretor, Crudum enim edunt, qui ipsi carnalem crudelitatem retinent, ut ante dictum est, id est, cum opiniones carnales de Deo & de religione, tum securitatem & contēptū iudicium Dei, qualis est in ijs qui sunt sine pœnitentia, sine agnitione iræ Dei, sine dolore et metu pœnarū peccati. Iam cogitemus quam multi homines in ecclesia crudi Christum & Euangelium fastidiant. Assum

D I E

V. Assum igni. Non dubito significari passionem Christi, qui uere sensit ignem diuini iudicij, et iræ Dei aduersus peccata. Et qui assum edunt, agnoscunt assationem, id est, agnoscunt et ipsi iudicium Dei aduersus peccata, quod uidelicet adeo irascatur Deus peccato, ut nulla uictima potuerit placari, nisi morte Filij, Nec diluamus hunc cibum maceratione in aqua, id est, securitate et opinionibus carnalibus.

VI. Totum comedetis. Doctrina de Christo teueatur integra: Vsitatum est enim Hæreticis, partem retinere doctrinæ de Christo, sicut Samosatenus retinebat hanc partem, Christum esse hominem. retinuit et Mahometus eandem, Denique alij aliam particulam retinuerunt. Aduersarij nostri retinent articulos de duabus naturis, sed non de officio, nolunt hac fide inuocari Deum, ut credamus nos uere recipi propter Filium mediatorem gratis. Ecclesia uero Christi retinet integram doctrinam.

VII. Renes accingetis et eritis calceati. Non dubium est, populum legis sic uescentem in apparatu uiatoris, admonitum esse hoc ipso ritu, quod alia maior liberatio adhuc expectaretur, interim eos futuros uiatores, habituros magna pericula, exilia, mutationes regni sui: Tunc uero habituros quietem,

quietem, hac peregrinatione perfecta, cum ueniret altera liberatio, quæ ducet in uitam & gloriam sempiternam.

VIII. Dicitur PHASE Domini, quod Deus transierit, percussit Aegyptios, & pepercerit familijs, ubi limen fuit conspersum sanguine. Hæc est principalis significatio. Misso filio iudicabit Deus mundum, transibit per omnes gentes, & abijcet eas in æternos cruciatus, sed parcet Ecclesie suæ consperse sanguine filij Dei. Hæc pars manifeste testatur in hac tota imagine depingi Christum, & passionem Christi. quia hic clare dicitur, parci familijs ubi limen erat conspersum sanguine. Constat autem non liberari nos aliter à morte æterna, nisi sanguine Filij Dei. Ad hanc significationem imago aperte congruit.

Ceterum apparatus uiatoris nos quoq; admonet de certaminibus, exilijs, & ærumnis in hac uita suscipiendis, Et si enim inchoata est liberatio, tamen nondum est perfecta, sed perficietur, cum per mortem educti fuerimus in æternam uitam.

Vt autem mare obruebat Israelitas nõ euntes per undas, ita mors non absorbet eos, qui agno Christo credunt.

Hoc modo nos admonet typus de perficienda liberatione, ut Israelitas admonebat restare aliam

liberationem. Nec dubium est sapientes viros in populo Israel, cum steterunt in conuiuio accincti, talibus uerbis admonuisse suos: Videtis quid hic noster apparatus significet, Deus nos iubet esse accinctos ad exilia, ad dimicationes, ad pericula, Hæc igitur pia mente suscipiamus, et expectemus alteram liberationem, quæ ducet nos in æternam quietem, significatam hac liberatione.

IX Postremo rursus præcipitur de azymis panibus. & de fermentato, Nec dubium est azymon significare puritatem doctrinæ inuocationis, fidei cultuum. ut cultus sint azymi, non fermentati humanis opinionibus extra Verbum Dei, sicut gentes, Mahomet, Monachi, & nunc multi docti miscent fermenta, id est, suas bellas cogitationes, & pluasibiles opiniones, alienas à uerbo Dei & doctrina fidei.

Hanc collationem agni paschalis cum agno Christo diligenter contemplemur, incurrat in oculos mactatio, & aspersio sanguinis: Mactatio significat mortem Christi. Aspersio significat applicationem, qua singuli fide applicant sibi beneficium Christi, atq; ita sanguine eius asperguntur, ut inquit Petrus: Cogitentur & causæ iræ Dei aduersus peccatum generis humani, et misericordia, quod sanguine Filij sui nos redemerit, retineatur
fides

fides in inuocatione, quod uere propter hunc filium recipiamur, non propter nostram dignitatem. Considerentur & poenæ Aegypti, significantes exitium omnium impiorum.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Euangelium Lucae.

XXIII.

ET ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod aberat spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem nomine Emahus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est, dum loquerentur, & secum quærerent, & ipse Ihesus appropinquans, ibat cum illis, Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Ait autem ad illos, Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Respondens autem unus, cui nomē Cleophas, dixit ad eum. Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa in his diebus? Et dixit illis Quæ?

Illi autem dixerunt, De Ihesu Nazareno

zareno